



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

Potesta, Felice

Coloniæ, 1712

Cap. II. De causa finali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40060

non habite, ad quemlibet alium Antistitem accedere valeas, Sacro Presbyteratus ordine decorandus. Ipsumque obnixè rogamus ut tecum super institutis ob nostræ Ecclesiæ necessitate dispensare dignetur. Vale. Et Angelus Domini sit in itinere tuo. Datum,

383 Hinc habes, Prælatum regularem debere primo loco suum subditum ad Episcopum Diocesæ suæ mittere, in cujus Diocesi

de familia commoratur, vel ad Episcopum viciniorem, si erit in loco nullius Diocesis, & eo absente, aut ordinationes non habente tunc potest ad quemcumque alium Episcopum suum subditum mittere. Hæc sunt disposita à S. Congr. Conc. die 15. Martii 1596. & die 11. Junii 1638. juxta mentem Trid. sess. 23. de refor. c. 8. quæ decreta refert P. Augustinus Marchæucci in *Officiali curia ver. Ordines à n. 4.*

PARS SECUNDA

Examen Prædicatorum.

CAPUT I.

De Causa efficiente sacræ Concionis.

Qui prædicare debeat?

384 AD Apostolicum sacræ prædicationis munus ritè exercendum, tria necessaria requiruntur, quorum altero deficiente, nemo prædicare debet.

Primum est irreprehensibilis vita; quia (teste Tullio) *Caput est artis, dicere, quod facis.* Hinc D. Hier. ad Nepotianum scribens, ait. *Non confundant opera sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loquaris, tacitus quisq; respondeat. Cur hæc, quæ dicis, ipse non facis?*

385 Secundum est solida scientia: ut saltem omnia, quæ pertinent ad mysteria fidei; mandata Dei, & Ecclesiæ, vitia, & virtutes; hæreses, atque erroneas opiniones digno liceat. *Potest. Exam. Ecclesiast. Tom. III.*

re, ac enucleare calleas; quod satis aptè præstabis, si priores tomos hujus operis familiariter habebis.

Tertium est legitima missio: nimirum ut à Prælato, ad quem spectat, sit tibi commissum, vel saltem concessum; nam ut inquit Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Vide Bullam Clem. X. *Superna* 1670. in tom. 1. ver. De approbatione Confessarii.

CAPUT II.

De Causa finali.

Prædicatoris finis

386 ESSE debet, ut peccatores peccato mortui ad vitam per penitentiam revocentur; & ut justi, qui Charitate vivunt, abundantius vita fruantur, juxta illud Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*